



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 149. Julianus interfectus, & Laurentius fuga dilapsus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. xandi causa Florentiam mitteret; id eo  
 A.C. 1478. consilio a conjuratis factum, ut sub ob-  
 tentu obsequii huic Cardinali præstandi  
 sine suspitione convenire, & commodius  
 Fratres Mediceos Laurentium & Julia-  
 num, quos eadem ex causa eo venturos  
 noverant, opprimere possent: Verum sæ-  
 pius tam in officiosis apud Cardinalem  
 salutationibus, quam in convivii in ejus  
 honorem adornatis mali occasionem fru-  
 stra quærebant; tandem vero, ne operam  
 perderent, communi suffragio statuunt,  
 quod ambos Fratres die Dominica vige-  
 sima sexta Aprilis tum e medio tollere  
 velint, cum Cardinalis Florentiæ Eccle-  
 siam majorem ad sanctam Reparatum  
 sacrum ibidem celebraturus accederet,  
 & Medicei abs dubio rei divinæ inter-  
 essent.

## §. CXLIX.

*Julianus interfectus, & Laurentius  
 fuga dilapsus.*

Exequendi facinoris signum, tempusque  
 indictum est, ubi in Missa *Sanctus* di-  
 ceretur. His ita conventis commissum  
 est scelus, & Julianus pugione confossus  
 illico occubuit; Laurentius vero natu  
 major occisi frater in faucibus levi vulne-  
 re faucibus in Sacrarium confugit; atque  
 ædituis illico portas cupreas, quas Pater  
 ejus



ejus extruendas curaverat, occludenti-  
 bus, ipse furentium gladios evasit. In Sæcul. XV.  
A. C. 1478.  
 hoc vitæ periculo non leve auxilium Lau-  
 rentio præstitit famulus quidam, quem  
 biduo ante ex carcere liberaverat; hic  
 tamen ipse multis vulneribus in hoc tu-  
 multu affectus ægre mortem effugit.

## §. CL.

*Conjuratorum principes, & Archie-  
 piscopus Pisanus e fenestris  
 suspensi.*

Laurentii salus non parum Pazziorum  
 factionem turbabat, maxime quod  
 illa non eo, quo speraverant Conjurati,  
 a populo adjuta fuisset. Eorum tamen  
 nonnulli, qui se se plene victoriam, caus-  
 samque obtinuisse credebant, Prætorium  
 involant, eo consilio, ut omnes Magistra-  
 tus, qui numero novem erant, jugulent.  
 Cum vero hosce furiosos ceteri non se-  
 querentur, quatuor vel quinque illi, qui  
 ingressi erant, consilii inopes ac terrore  
 concussi hærebant, cum Prætorii fores  
 post terga eorum occlusas cernerent.  
 Captis hisce Magistratus, eorumque fa-  
 muli ad fenestras occurrunt, statimque in  
 urbe quosdam tumultus fuisse exortos  
 animadvertunt, ac paulopost ex Pazzio-  
 rum factione quemdam in foro vociferari  
 S s 5 audiunt: